



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

III. De Donato Nouatianorum episcopo, & de Maximo ex Donatistis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

baricam pertulere violentiam, & integritatem pudoris non animo sed corpore perdiderunt, ea nobis seruanda videtur moderatio, vt neque in viduarum deiiciantur gradum, neque in sacrarum & perseuerantium virginum numero censeantur. Quibus, si in omnibus virginalibus obseruationibus perseuerant, & castimonie soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communio: quia iniustum est, eas in eo vel argui, vel notari, quod non voluntas amisit, sed vis hostilis eripuit. Causam quoque Lupicini episcopi illic iubemus audiri. Cui multum & sapius postulanti, communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum iudicium prouocasset, immerito eum, pendente negotio, a communionem videbamus fuisse suspensum. Adiectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in presenti positus, aut confutatus, aut certe confessus, iuxta posset subiacere sententia: vt vacantem locum, quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is qui consecratur exciperet.

III.

1. quæst. 7.
Donatum
autem.

Donatum autem Salicinensem ex Nouatianis cum sua (vt comperimus) plebe conuersum, ita dominico volumus gregi præsidere, vt libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo & Nouatiani dogmatis damnet errorem, & plenissime confiteatur catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico, licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & a spiritu schismaticæ prauitatis alienus, ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate: ita vt & ipso libello ad nos edito catholicum se esse manifestet.

1. quæst. 7.
Maximum
quoque ex
laico.

IV.

De Aggaro & Tiberiano, quorum a ceteris, qui ex laicis ordinati sunt, in hoc causa diuersa est, quod eorum ordinationi atroces tumultus & sæuæ seditiones memorantur esse famulata, vestro iudicio cuncta commisimus: vt relata habita apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit, scire possimus.

V.

32. quæst. 5.
Illæ autē fa-
mulæ Dei.

Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressionem barbaricam perdiderunt, laudabiliores erunt in